



**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

4 Vtrum omnes, quorum origo incerta est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

SECTIO IV.

An expositi, & in uniuersum omnes, quorum origo incerta est, sint irregulares.

I
Varij sen-
sus qua-
stionis.



N præcedenti sectione ostendimus, omnes illegitimos esse irregulares. Nunc declarandum est quam certus esse debeat hic defectus natalium, ut irregularitatem inducat. Varii enim gradus incertitudinis, seu cognitionis in hoc esse possunt. Primus est quando neutrum scitur, ut contingit in filiis expositis, sub quibus comprehendimus omnes, quorum parentes ignorantur. Secundus gradus est, quando filius natus est ex matre habente virum, & communi existimatione creditur esse genitus ab illo, re tamen vera est genitus ab alio; id tamen non constat, nisi fortasse ex aliquibus coniecturis, vel aliqua infamia, aut etiam per assertionem matris id secreto affirmantis filio. Tertio potest contingere aliquem esse natum ex coniugatis in externo foro Ecclesie, postea vero declarari matrimonium fuisse nullum; dubium tamen vel incertum relinqui, an parentes bona vel mala fide contraxerint, & filium genuerint. Extra hos autem casus semper videtur altera pars certa, humana fide & opinione, quod in hac materia satis est: & ideo de illis tantum dicemus, & inde colligemus generalem regulam.

De Expositis.

2.
I. Opinio.
Anan.
Felin.
Covar.
Palcot.

Circa primum ergo punctum de expositis, variae sunt opiniones. Prima negat expositos esse irregulares. Quam tenet Ananias, & Felinus, quos cum aliis refert Covarr. statim citandos. Et hanc opinionem tenet Menoc. conf. 36. & esse communiter receptam, dixit Paleotus in lib. de Filiis notis, c. 63. n. 3. Fundamentum est, quia, qui non probatur malus, præsumitur bonus in iure: sed hi expositi non probantur illegitimi, ergo præsumendi sunt legitimi, & consequenter non irregulares. Et confirmatur à simili: nam isti ob hanc causam præsumuntur nati ex parentibus & progenitoribus fidelibus, qui nunquam à fide discesserunt & admittuntur ad officia, & beneficia in Ecclesijs in quibus sunt statuta non recipiendi neophytos, solum quia, cum non probentur esse ex vitiosa radice, præsumuntur esse ex bona. Quod videtur ita definitum ab Innocentio Tertio, in c. Cum deputati, de Iudiciis, ubi Glossa vltima aduertit, ius præsumere quemlibet esse dignum, nisi probetur contrarium, & allegat varia iura. Est autem optima Regula 57. C. de Regul. iur. Semper in dubiis preferenda esse benigniora. Responderi vero potest hoc fundamentum procedere, quando res est in utramque partem æque ignota, hic autem esse moralem, & vehementem præsumptionem hos expositos esse illegitimos, quia filii legitime nati non solent ita exponi. Sed hoc non satisfacit: nam, licet demus frequentius ita esse, non tamen semper, quia interdum experientia compertum est, parentes propter paupertatem nimiam vel aliam finalem causam exponere legitimam prolem, ut Exod. 2. legimus, Moysen, quamuis legitimum, fuisse sic expositum. Idem supponitur in c. vnic. de Infantibus expositis, in illis verbis, Hoc ipso fuit à potestate patria liberatus, nam hoc proprie non cadit nisi in filium legitimum. ut constat ex §. vlt. inffit. de Nuptiis, & §. vlt. iuncta Gloss. inffit. de Patria potestate. Hoc ergo satis est, ut in ordine ad fauores hi præsumantur legitimi. Sicut supra dicebamus, quando ex aliquibus hominibus quidam sunt homicidæ, alii vero non, si Ecclesia non possit aliquos discernere, neminem repellere, ne inuoluat innocentes cum nocentibus,

A melius enim esse videtur plures habentes defectum incognitum accipere, quam expellere paucos re ipsa maculam non habentes: ergo in gratiam paucorum v. g. qui possunt esse legitimi, satius est omnes legitimos reputare. Et confirmatur, nam ob hanc causam iura tam canonica, quam ciuilia, fauoribus prosequuntur hos expositos, quod ad pietatem etiam spectat, eo quod sint veluti humano subsidio destituti. Et ideo in c. 1. de Infant. expositis, serui expositi efficiuntur liberi, & liberi sunt ingenui. Et idem habent leges ciuiles C. eod. tit. & l. Nemiini, C. de Episcopis audientia.

Secunda sententia est, hos esse irregulares quamdiu de eorum parentibus non constat. Quam tenet Maiolus lib. 1. c. 11. Qui textum non adducit, sed maxime fundatur coniecturis. Prima & præcipua est illa, quod isti expositi frequentius sunt ex turpi conceptione, in obscuris autem inspicere solet quod verisimilius est, aut quod plerumque heri solet, ut dicitur in l. 115. ff. de Regul. iur. Secunda, quod possint esse rebaptizati, & dubium de rebaptizatione sufficit ad irregularitatem. Sed non credo esse verum assumptum, maxime quando certum est rebaptizationem non potuisse cum culpa rebaptizati contingere, ut est in præfati casu. Maxime, quod, regulariter loquendo, tale dubium non est positum & probabile, sed mere negatiuum, quod sine dubio non sufficit. Tertia, quia peregrini & incogniti repelluntur propter incertitudinem. Sed hoc etiam exemplum, & limitatione indiget, ut in superioribus traditum est, & non est simile, tum quia de illis peregrinis habemus expressam decisionem iuris in c. 2. de Clericis peregrinis, quæ in præfati non habetur: tum etiam quia illi peregrini tenentur de se ipsis rationem reddere, & testimonium suorum prælatorum afferre: & ideo quamdiu illud non exhibent, in culpa esse iuridice præsumuntur: donec aliquo modo, saltem per probatam consuetudinem purgentur. Addit, huiusmodi expositos censeri esse ex parentibus infamibus, vel qui per ipsam expositionem infames facti sunt. Sed hoc parum refert ad præfatum irregularitatem, & ad quamcumque aliam inhabilitatem, quia illa infamia parentum, qualiscumque sit, non redundat in filios, neque eos infames facit. Nihilominus ob solam primam coniecturam inclinat in hanc opinionem Covarr. in Clem. Si sariusus, p. 1. in prin. n. 9. cum duplici limitatione. Vna est, ut expositus nondum promotus, sit irregularis ad suscipiendos ordines in futurum, si vero iam sit ordinatus, prohibendus non sit ab usu ordinis. Secunda est, quod Episcopus possit dispensare in hac irregularitate. Quæ opinionem sequitur Salzedo in Pract. cap. 14. ad finem, quamuis fateatur rationem eius non concludere, nec meliorem asserat. Potest pro hac sententia citari Gloss. in c. Consuluit, de Seruis non ordinandis, quatenus dicit: spurium illegitimum esse, qui patrem offendere non potest, vel si ostendit, verendum ostendit. Confirmari etiam potest hæc pars ex illis iuribus, quæ affirmant, in dubiis facti præsumendum esse aliquem irregularem: nam hic dubij facti intercedit, & tale ut in deteriorem partem magis inclinat.

Hæc res adeo est dubia, ut nonnulli graues & antiqui Doctores indecisam eam reliquerint, ut Ancharran. in c. 1. de Infant. exposit. & Barbatius in c. Cum deputati, de Iudiciis. Quapropter utramque sententiam censeo probabilem: unde potest, qui voluerit, priori adhærere in praxi: securius autem erit uti moderatione: qua Covarr. leniuit rigorem posterioris sententiae. Itaque primo certum est, si postquam aliquis fuit expositus, de eius parentibus constiterit, ex sola expositione nullam irregularitatem contraxisse, quia nullo iure expressa est: quod etiam Maiolus fatetur. Unde si constiterit, illum fuisse ex legitimo matrimonio natum, irregularis non erit. Potest autem id constare, vel vtriusque parentis testimonio

Sec. IV. An filii incerti parentis sint irregulares. 767

nio (illud enim sufficere videtur) vel ex aliis coniecturis, & probationibus. Secundo, si parentes omnino ignorantur, & bona fide ordinatur, non est censendus irregularis ad vsum ordinum. Couar. hoc solum probat dicens, *propter auctoritatem Anan. & Felini.* Sed certe propter eandem idem dicendum esset de ordinatione ipsa. Propria ergo ratio est, quia in dubiis melior est conditio possidentis: & ideo addidi in assertionem, *Si bona fide, &c.* Nam hoc principium habet verum in possessoribus bonae fidei; mala. n. fides non iuvat. Cum ergo sic ordinatus habeat ius ad vsum ordinis propter solum dubium, quod de expositione nascitur, non debet prohiberi. Pateor autem alia via posse etiam excusari, etiam si a principio mala fide ordinatus sit, deponendo illam fidem & confirmando se opinioni probabilis. Sed hoc ideo licet, quia idem a principio fieri potuisset. Vnde dico tertio, huiusmodi expositum posse, si velit, in conscientia comminari prior opinionem, quae habet graues coniecturas, & auctores, atque potest sine scrupulo absque dispensatione ordinari. Tamen, quia facile potest dispensatio ab Episcopo obtineri, securus erit illa postulare, & ita consulendum censio. Nam licet Episcopus non possit dispensare cum illegitimis, ut infra dicemus; in hoc tamen casu dispensatio sufficit, ut quia praeter auctoritatem simul cum opinione probabilis sufficit ad pacandam conscientiam; vel quia in similibus dubiis potest Episcopus dispensare, ut in sequenti sectione videbimus; vel certe quia haec non petitur per modum proprii dispensationis, sed solum per modum cuiusdam approbationis, vel liberæ facultatis. Nam, quia Episcopus daturus est ordines, vel dimissorias literas ad eos recipiendos, & talis conditio personae posset merito retardare eius voluntatem, oportet ea illi proponere, ut ea non obstant, Episcopus voluntarie approbet personam ad facultatem concedendam, quae regulariter facere debet, si alia causa rationabilis non obstat.

Circa secundum punctum dubitari solet, an in eo casu teneatur quis se reputare illegitimum propter subortam infamiam, vel solum matris testimonium. In qua re primo est recepta sententia, filium in eo casu non tene se credere illegitimum propter solum testi nomen matris id asseueratis, etiam in fine vitae. Ita sentit Nauar. cap. 27. n. 201. citans Hostiens. in d. c. de filiis Presbyteri. Idem Maiol. l. c. 7. n. 3. Castro, l. 2. de Lege poenali. c. ult. Concl. 3. Salzed. in Pract. c. 14. lit. C. parum a principio; & in materia de iustitia in ordine ad obitendam hereditatem, est etiam haec communis sententia, ut videre licet in Abb. in c. Per totas: de Probat. 7. 4. & aliis Canonistis in c. Officiis, de Poenit. & rem. & Couar. Regula. Peccatum, 1. par. n. 3. & 6. & Soto 4. de Iustitia, q. 7. art. 2. ad 2. & Theol. in 4. dist. 15. Et potest probari ex dict. c. Officiis, nam ibi significatur, huiusmodi adulteram non tene se suum facinus detegere, ne hereditatem mariti ad alienum filium deueniat, quod regulariter & ut plurimum intelligendum est; huius vero ratio est, quia filius non teneatur adhibere fidem dicto matri, iuxta l. Filius, ff. Qui sunt sui vel alieni iuris: nisi sufficienter probeatur tempore conceptionis non fuisse cognitam a marito. Et ratio est, quia licet filius credat matrem fuisse adulteram, non ideo cogitur credere se esse illegitimum, cum utrumque possit aequè contingere: & in eo casu lex hunc legitimum praesumit.

Dices, licet quoad alios effectus hoc forte praedat, non tamen in ordine ad irregularitatem: quia, ut minimum, est res dubia, in dubio autem facti inclinandum potius est in fauorem irregularitatis. Respondetur, hoc argumentum probare, quod supra diximus, illam regulam non esse indistincte sumendam: nam si dubium ortum est sine hominis culpa, & aliunde nullum est medium ad illud expellendum, & quis est in legitima possessione, non tenetur se illa priuare propter dubium, haec autem omnia in praesenti concurrunt. Nam dubium hoc non oritur ex culpa filij, & expel-

li non potest, estque in possessione filij legitimi ex vero titulo matrimonij, cui etiam fauendum est: potest ergo deponere dubium speculatiuum, & praedice se filium legitimum reputare.

Addit vero Soto, tam vehementer esse posse matris persuasionem, ut filius intus in mente credere conuincatur, & in eo casu in conscientia obligari. Sed in hoc oportet distinguere factum a necessitate, vel debito. Factum appello credulitatem filij, de qua verum est, quaecunque ratione filius interius credat se esse illegitimum, siue ex leuitate animi, siue ex ignorantia, siue ex nimia coniectura, teneri in conscientia se gerere ut irregularem, & non ordinari absque dispensatione, quia alioqui ageret contra conscientiam. Quod Nauar. supra notauit. Imo Maiol. & Salzed. addunt, si scrupulus angatur, & interius magis inclinet in matris assertionem, debere dispensationem petere. Quod est consilium ad maiorem quietem, non tamen absolute necessarium, potest enim deponere scrupulum, etiam si interius urgeat, imo, si prius leuius credidit, potest postea mens instructus mutare credulitatem, & consequenter etiam deponere conscientiam. Necessitate autem credendi appello illam, quae ex praemissis, vel rationibus inferitur intellectu, ut assentiat: & hoc modo non potest filius ex persuasionem matris conuincatur ad credendum. Primum quia illa est tantum humana fides. Deinde nititur tantum vnus testimonio, & mulieris, quae multis ex causis potest moueri ad asserendum. Accedente est de re, quae non potest ipsi dicenti esse omnino certa, nam licet de adulterio possit esse certa, non tamen de conceptione ex tali vi. o; nisi in eo casu, in quo euident illi sit post adulterium, prius fuisse prolem formatam, quam a marito fuerit cognita: qui casus vix potest contingere, quin maritus rem intelligat. Et ideo quando res est omnino occulta, non potest mater cogere seu conuincere filium ad credendum. Quapropter nec debitum seu obligationem credendi potest inducere, nisi fortasse tota asseratur & circumstantias probabiles, vel ipsi filio alias notas, ut rem faciant vehementer credibilem: Maximum autem testimonium esset, si maritus etiam haberet perceptum matris adulterium, & testificaretur reputato filio, se non cognouisse uxorem eo tempore, quo concepit, nam tunc profecto duorum testimonium sufficere videtur ad obligandum filium, ut credat se esse illegitimum. Quod a simili probari potest ex c. Transmissa. Qui filii sunt legitimi, ibi. In tali casu standum est verbo viri, & mulieris, nisi certum indicium, & testis constiterit, esse filium. Quamuis Abb. in c. Per totas, & Probationibus. n. 4. ex eodem textu, adiuncta Gloss. verb. Indiciis, oppositum asserere videatur: quod ad summum posset habere locum, quando contra parentum testimonium essent aequivalentes probationes & coniecturae, ut recte Couar. 2. p. 4. c. 8. §. 3. n. 9. Denique hinc etiam a fortiori constat, secluso testimonio vtriusque parentis, nunquam debere aliquem se reputare illegitimum propter rumorem aliquem, vel infamiam, quia haec non inducunt sufficientem probationem, & ideo praevalet iusta possessio cum iusto titulo matrimonij, in quo a parentibus semper fuit, ut verus filius recognitus, & tractatus, ut ex Couar. supra a fortiori sumitur.

Atque ex his quae diximus de filiis adulteris iudicandum est de filiis suppositis, de quibus etiam loquitur ca. Officiis, de Poenit. & remissis. Et quoad obligationem matris, si illum supposuit ignorante patre, idem fert iudicium, quod de filio adulterino concepto. Vnde videtur simili modo dicendum, hunc non teneri ad fidem matri adhibendam, nisi concurrant alia, quae cogant ipsum ad credendum: sicut de adulterino dictum est. Nihilominus tamen non videtur esse omnino similis ratio, nam in priori casu, ut filius non credat matri, non oportet ut credat ipsam metiri in assertionem adulteri, satis enim est, quod etiam illo posito non

7
Modo autem
praecedens
conclusio.

Abb.

Couar.

De filiis
suppositis.

5.
D. natio ex
adultera
matre. n.
qua est filius
legitimus
agnoscent.
i. C. de iustitia
Nauar.
Maiol.
Castro.
Salzed.
Couar.
Soto
Abb.

Obiectio.

Solutio.

non recte sequitur istum esse filium adulterinum: in presenti autem si mater verum dicit, necessario inde sequitur hunc esse filium alienum; ergo non potest filius hoc non credere, nisi credat matrem mentiri. Hac autem sola ratione difficile est excusare filium ab obligatione credendi se non esse ortum ex tali matrimonio, quia licet vnius testimonium non sit firmum, tamen cum talibus circumstantiis videtur esse vehemens. Quia vera mater non negat verum filium, neque est verisimile quod decipiat illum, nisi aliunde constet aut de vehementi odio, aut de nimio amore erga alium, cui hac via benefacere studeat. Et ideo in huiusmodi casu existimo facilius posse filium obligari ad dandam fidem matri, quamvis in particulari circumstantia pensanda sint.

Aduertenda est autem alia excusatio, quia licet filius in hoc casu credat matri, non statim se credit illegitimum, potuit enim prius ex vna legitime nasci, & statim alteri supponi. Et ideo, si eadem mater, quae negat esse verum filium suum, affirmet nihilominus esse ex legitimo matrimonio natum, id satis erit, ut non se putet irregularem, quia non est maior ratio credendi vnum, quam aliud. Et quod filius alias legitimus, postea suppositus sit, non inducit novam irregularitatem, nullo enim iure lata est. Si autem mater affirmet & non esse suum, & alias esse illegitimum, & ei credatur, irregularitatis dispensatio necessaria erit: an vero credendum sit, iam dixi iuxta occurrentes circumstantias indicandum esse, quia non potest hic certior regula tradi propter vehementem coniecturam, quod vera mater sciens & videns non decipiat filium in re tali. Si vero quispiam se credat filium suppositum tali matri, & ignoret an alias legitimus, vel illegitimus sit, tunc eadem ratio de illo esse videtur, quae de filiis expositis, quia similiter ignorat ortum suum. Aliqualis tamen videtur esse differentia, quia in hoc casu maior est ratio suspicandi tale infantem esse illegitimè natum, quia frequentius contingit ut parentes legitimi infantes suos tradunt aliis parentibus supponendos, quia in hoc nihil periculi est, & multum potest esse commodi, sicut naturalis & legitimus parens libenter tradit filium suum, ut ab altero in filium adoptetur: sic enim in presenti mater, vel pater, qui filium alienum sibi supponit, tacite illum adoptat. Ob hanc ergo causam facilius potest hic suppositus, si nihil aliud sciat, si credere legitimum, quam alius expositus.

Circa tertium punctum breuiter dicendum est quod, si cumque non constat de mala fide parentum, credendum esse filium legitimè conceptum, atque adeo non irregularem, ut sumitur ex c. Peruenit, cum communi interpretatione. Qui filij sine legitimi: & indicat Cou. 2. p. 4. c. 8. §. 3. n. 1. dicens, ut aliquis habeatur illegitimus, non satis esse, ut probetur matrimonium inter parentes fuisse inualidum, nisi etiam probetur, parentes mala fide contraxisse aut conuenisse: ergo multo minus tenebitur ipse filius credere, nisi sufficienter probetur. Maxime quia in dubio non debet praesumere culpam in suis parentibus. Vnde cum hoc pendeat ex interna dispositione parentum, nulla indicia, vel coniecturae videntur sufficere, regulariter loquendo, seclusa eorum assertione. At si uterque eorum affirmaret, esset violenta probatio, etiam in conscientia sufficiens: si tamen alter tantum id diceret, indicandum erit iuxta dicta in proximo puncto. Et consulenda etiam sunt dicta in praecedenti sectio de filiis legitimis ex reputato matrimonio.

SECTIO V.

Quibus modis tolli possit hac irregularitas.

Primus modus quo auferri potest.



Primus modus, & manifestior tollendi hac irregularitatem est per dispensationem. Quam primo, & praecipue concedere potest Summus Pontifex quoad omnes illegitimos, & quoad om-

nes ordines & dignitates ac beneficia ecclesiastica. Nec de potestate est villa difficultas. Circa autem vero dubitari potest, quam causam requirat, & quibus verbis facienda sit. Sed de his videantur supra dicta in communi, & quae attigimus sectio. 1. huius disp. Solumque obseruetur, maiorem causam postulanda esse, ubi defectus natalium fuerit maior, vel ubi fuerit notior, aut certe minorem dispensationem esse concedendam, ut ordinariè res fiat, nam, ut facta teneat, sufficere volūtas Pontificis. Videatur Sylvest. verb. Legitimus. n. 10. Maiol. lib. 1. c. 9.

Secundo, de Episcopis dicendum est, posse dispensare cum illegitimis quoad ordines minores, si aliud impedimentum non interueniat, ex c. 1. de filiis Presb. in 6. ubi hac potestas conceditur respectu omnium illegitimorum in quocumque gradu, quia inde innuitur dicitur, *Is qui defectum patitur natalium*. Arque ita ibi notat Gloss. & omnes: expressè autem additur, in superioribus ordinibus non posse Episcopum dispensare, sed solum Pontificem Summum. Aliqui vero excipiunt illegitimos canonice tantum, & non naturaliter: nam cum illis putant posse dispensare Episcopum, ad ordines sacros, ex c. Literas, de filiis Presb. nam per illa verb. *Permittimus ordinari, autem, permitti Episcopo ut possit dispensare*. Ita Ioan. And. ibi, & faciunt verba illa, *Si alius dignus inuentus fuerit*. Sed in primis multi intelligunt verba illa de solis ordinibus minoribus cum Gloss. ibi communiter probata per Abb. & alios, quia talis dispensatio est odiosa, & ideo indefinite concessa restringitur: nam cum largior est, additur distributio, *ad omnes, vel ad sacros ordines*, iuxta c. 1. & 2. de filiis Presb. in 6. & quae ibi notantur. Deinde in d. c. Literas, non concedit potestatem dispensandi, nullum est enim verbum, quod hoc significet, sed ipse dispensat, ut supra ostendi sect. 1. Hae ergo sententia seu exceptio nullo iure fundatur, & ideo non est admittenda, quin potius ex illo c. Literas, colligi potest hunc Episcopum non habuisse hanc potestatem dispensandi in minoribus ordinibus cum illegitimis cum Papa ibi illam concedat, sed hanc ex nouo iure l. 6. Sed hoc etiam est incertum, quia Papa dispensauit in illis ordinibus, ut aliqui concederet, ut in ipso textu significatur, hinc illud non plus fuerit quam potuisset ab Episcopo concedi quod indicauit Gloss. in c. 1. de filiis Presb. in 6.

Addunt vero vterius aliqui, si contingat illegitimum bona fide ordinari Subdiaconum, vel Diaconum posse Episcopum cum illo dispensare, quoad usum ordinis sic suscepti. Ita tenet Nau. tit. de filiis Presb. consil. 4. n. 2. citans Gratianum, 9. q. 2. §. 1. *Hic authoritatibus*, sub. c. *Non inuitatis*, c. *Lugdunensis*, quod proxime sequitur. At ibi non est sermo de hoc casu, sed de alio valde diuerso, videlicet quando quispiam ordinatur ab Episcopo non suo, tunc enim dispensari potest à suo Episcopo quoad usum ordinis sic suscepti, qui illa non est dispensatio in irregularitate, sed in suspensione contracta propter in debitam suspensionem ordinis contra subordinationem debitam proprio Episcopo, cui propterea merito talis dispensatio committitur. Et ob eandem causam inualida etiam apparet ratio, quam Nau. addit, nimirum, quia illa solam est quaedam suspensio, in qua potest proprius Episcopus dispensare: est enim hoc verum de impedimento contracto ex suspensione ordinis ab alieno Episcopo sine licentia proprii non vero de impedimento, quod prouenit ex defectu natalium. Vnde in quodam scholio addito in fine illius consilij, aduertitur, dispensationem, de qua loquitur Nauarrus in illo n. 2. non respicere impedimentum natalium, sed ordinationis ab alieno. Quod quantum ad rem ipsam recte notatum est, mentis auctoris quadrare non potest. Nam n. 1. definit in casu ibi proposito non fuisse incursum suspensionem propter ordines susceptos ab alieno, quia suscepti fuerunt cum litteris dimissoriis, & bona fide: Secundum autem